

beneficiorum saltem fieri *καὶ ὡς*, referente Maccovio in tract. contra Anabapt. opera Arnoldi publicato p. 138. Seponimus etiam Arminianorum errores, de quibus plura vide in Arminianismo Calovii de Sacram. p. 513. & ap. Vedelium de Arcanis Armin. l. 1. c. 4. p. 27. vid. omnino D. Christ. Sontagii Auctar. in Venen. Matacol. Armin. p. 43. Secedat Glossa Socinianorum, qua vox *hoc* non ad panem, sed & ad actionem frangendi & comedendi panem refertur, ut sensus sit: Hoc, non panis, sed hæc actio frangendi & comedendi panem est corpus, h. e. Commemoratio Christi Corporis pro nobis fracti, Catech. Racov. Cap. 3. de Proph. Off. Chr. p. 223. Cui contra scripserunt B. D. Scherz. in Colleg. Antifoc Disp. CXV. p. 937. & Hornbeckius l. 3. Soc. Confut. Disp. 242. Neque Reformatorum dissidia intestina nobis sumimus ex professo refutanda, qui omnes tropum verbis Christi: *hoc est Corpus meum* in esse statuunt, aut, ubi sit, hæsitant. Aliqui enim in Subjecto vel voce *δεξιῶν* *HO*, quærent, ut Carolstadius, qui verba: *Edite, hoc est Corpus meum*, in binas dictiones dispescuit, ut clausula prioris sit: *edite!* posterioris vero initium *Hoc* (quod mensæ assidere videtis) *est corpus meum*, prout eam explicuit. Ast numne licet continuam orationem sic temere divellere? & numne in altera Eucharistiæ parte quoque talismodi interpretatio locum habet: *Hoc* (Quod mensæ inhærere videtis) est sanguis meus? numne tum erat in conspectu Apostolorum, cum nondum esse profusus? Unde Zwinglius part. 2. in Epist. ad Matth. Albertum pag. 153. inquit: Carolstadius magis offendit, quam ædificat: Carolstadii Oratio non assequitur, quod res postulat. Ast & Calvinus in subjecto *τῆτο* nondum quærit, intelligendo per id Panem, ut sensus sit: Panis est foedus in corpore meo, perinde ac circumcisio dicitur foedus; *Christ. Relig. l. 4. c. 17. sect. 20.* Cui imprudenter accesserunt Helmstadienses Hoffmannus & Pfaffradus, etsi cætera in hoc Articulo sani. Sed quænam Constructio grammatica *ἀπὸ τῆτο*? Calvinum sequuntur alii, quorum communis opera est docere per *Hoc* intelligi panem, de quo improprie dicatur, quod sit corpus Christi, est ubi tropus lateat, in utrumque hallucinantur latus. Maccovius rediv. in tract. Theol. Polem. p. 181. impropriam locutionem esse inde probat, quod corpus Christi in cælos ascenderit, reversurum demum ad iudicium. Et in quæst. Theol. contr. Armin. c. 13. p. 108. parum interesse statuit, tropus ubi sit, in prædicato, an copula certe autem esse in alterutro.